



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 4. Concilium Montispessulanense.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](#)

cum baculum in Palæstinam peregrinans. Sæcul. XIII.
 tium prima Dominica Quadragesimæ A.C. 1224.
 hoc anno millesimo ducentesimo vige-
 simo quarto accepisset, ad S. Jacobum
 in Gallæciam perrexit, unde per Casti- G. Nang. an.
 liam rediens, Berengariam Ferdinandi 1223 Godef.
 Regis sororem nuptiali fœdere sibi ann. 1224.
 junxit.

Ceterum Ludovicus, expugnata Ru-
 pella, totam Aquitaniam, si Occitaniam
 exceperis, ad deditio[n]em compulit.

§. IV.

Concilium Montispessulanense.

Sub idem tempus, nempe infra Octa-
 vam Assumptionis Dominæ nostræ, App.
 Concilium in urbe Montispessulo Aucto- to. II. Conc.
 titate Papæ celebratum est. Quippe in p. 233.
 Geſt. Lud.
 eo Archiepiscopum Narbonensem mo-
 dum pacis, quam Raimundus Tolosanus,
 & alii Albigenses Sanctæ Matri Ecclesiæ
 offerebant, audire, & quid actum esset,
 referre jussérat. Itaque Archiepiscopus,
 ut mandata exequeretur, suæ provinciæ
 Episcopos & Abbates, atque etiam pro-
 vinciarum Arelatensis & Ausciensis con-
 vocavit, in quo Conventu Comes To-
 losanus ea, quæ jam prius ad pacem tam
 sibi quam Fautoribus suis ab Ecclesia Ro-
 mana impetrandam obtulerat, iterum
 promisit, in hunc modum : *Fidem Ca-*
Uu 2 tholi-

Sæcul.XIII. tbolicam, quam Ecclesia Romana docet,
A. C. 1224. tenebimus, & in omni terra nostra te-
nere curabimus. Ditiones nobis subditas,
secundum Judicium Ecclesie, fideliter
ab Hæreticis purgabimus, bona eorum
Fisco addicemus, pœnas corporis adbi-
bebimus. Pacem in toto principatu
nostro servari præcipiemus, grassatores
de finibus nostris expellemus. Ecclesiæ
omnia jura restituemus, earum libertati
cavebimus. Ob illatum damnum & in-
juriam abolendam Ecclesiæ ac Viris Ec-
clesiasticis dabimus viginti millia mar-
carum argenti, ea tamen conditione, ut
nos Papa ab omni Comitis Montfortii in
terras nostras postulatione absolvat. His
promissis se se obstrinxit Raimundus die
vigesima sexta Augusti anno millesimo
ducentesimo vigesimo quarto, ac jura-
mentum addidit, quod etiam Rogerius
Bernardus Comes Foxiensis, & Trenc-
vellus Vicecomes Bliterensis confirma-
runt.

Amalricus Comes Montfortius, qui
se virtute Decreti Concilii Lateranensis
Comitem Tolosanum gerebat, nec ipse,
nec quisquam alias, ejus nomine, Col-
loquii, ad reconciliandum Comitem
Raimundum habitis, interfuerat. Qua-
re datis ad Præfules Concilii Montisp-
ulanensis, antequam congregarentur,
literis, exponebat; bellum contra Albige-
senses

genses successu non carere, nec modo Sæcul. XIII
esse desperandum, eos comprimi posse, A.C. 1224.
& nunquam victoriæ spem magis quam
nunc arrisisse, postquam Rex Franciæ
opus aggressus esset. Subjungit: *Obse-
cramus vos igitur; nullam pacem, nulla
paæta, cum Raimundo admittite, quæ Ju-
tinostro noceant, sine dubio simul etiam
in scandalum & ignominiam totius Ec-
clesiae redundatura.* Archiepiscopus Nar-
bonensis, in Concilio Montispessulanensi
Præses, tunc erat Arnaldus, antea Ab-
bas Cisterciensis, qui anno sequente mil-
lesimo ducentesimo vigesimo quinto,
postquam annos tredecim Episcopatu e-
minuisset, e vivis eruptus est.

§. V.

S. Francisci Stigmata.

Jam diu S. Francisco tempus suum di-
spertiendi hæc erat ratio, ut partem
unam saluti proximi, alteram propriæ
quieti, & rerum divinarum contempla-
tioni daret. Hinc etiam biennio ante-
quam ex hac vita abiret, nempe anno *Vading.*
Bonav. c. 13.
millesimo ducentesimo vigesimo quarto, 1224. n. 2. §.
magnis laboribus fatigatus, in montem
Alvernij secessit, Quadragesimam S. Mi-
chaelis, ut adsueverat, nempe quadra-
ginta Jejunii dies ab Assumptione Beatæ
Virginis usque ad finem mensis Septem-
bris, transacturus. Mons hic in Thu-
Uu 3 sciæ